

dum grauiore nodo. Stephanus loquebatur plenus Spiritu sancto. Ergo non contradicit Mosi: nec dissentit: nec est dubiæ veritatis, aut ad communem tantum opinionem directa eius narratio. Immo non modico salis grano indigere mihi videntur, qui talia de B. Stephano scribunt vel sentiunt. Atque hæc de Abrami anno natali qui, vt ex demonstratis liquet, fuit annus ætatis Therah 130. diluuij 352. Mundi 2008.

Chronologia continuanda duplex ratio in generatione Abrami.
Iam Chronologiæ continuandæ rationem quod attinet, fueram hæcenus in ea opinione, ætatem Therah ad Chronologiam nihil facere: sed eam vna tantum ratione ex anno natali Abrami tendendam esse: verum penitus re considerata, obseruavi Spiritum sanctum minime frustra integram ætatem Therah expressisse. Geminam ergo Chronologiæ contexendæ rationem hic nobis ostendit. 1. Per annum natalem Abrami. 2. Per ætatem Therah & quidē hanc priorē multo manifestiorem.

Per annum natalem simpliciter hoc modo, si eum cum anno natali Therah.

A coniungamus. Annus natalis Therah fuit annus mundi 1878. His mundi annis addatur natalis annus Abrami qui fuit 130. Therah. Sic incidet natalis Abrami in annum mundi 2008. Dehinc recto ordine sequuntur ætates Abrami, Isaaci, Iacobi, &c. per quas Chronologia continuatur.

Per ætatem Therah hoc modo. Ad annum natalem Therah, qui fuit mundi 1878. addatur integra eius ætas annorum 205. habebimus annum mundi 2083. Ab his rursus demantur anni 75. egressus Abrami ex Haran: quoniam tunc Abraham Theræ filius patri successit in vita: habebimus rursus annum mundi 2008. natalem Abrami: sicque vt prius series annorum per ætates Patrum procedet. Hæc sine dubio sola causa est, cur Spiritus sanctus exemplo singulari integram ætatem Theræ consignarit, & ætatem Abrami sub egressum ex Haran tam diligenter notauerit. Sed nunc de vocatione & migratione Abrami in Cananæam Mosē porro audiamus.

CAPITIS DVODECIMI

Argumentum, Vsus, Partitio.

*S*equitur tertia pars libri continens vocationem, peregrinationes & res gestas Abrahæ vsque ad eius obitum & sepulturam infra cap. 25. v. 10. Hebræi tertiam $\gamma\tau\delta$ quam vocant $\gamma\eta\text{-}\gamma\eta$ finiunt ad cap. 18. Nos vero supra in Prologomenis totam historiam Abrahami in hac parte coniunximus. Capite XII. describitur Abrami cælestis vocatio & peregrinatio in Cananæa & Aegypto. Audiemus exempla admirabilis prouidentia, misericordia & bonitatis Dei in curanda salute electorum & conseruanda sua Ecclesia: nec non eximia fidei & obedientia in Abramo multis difficultatibus cedente in exequendo Dei mandato: fortune item satis dura, quæ excipit & exercet fideles Dei cultores, in hoc mundo: Demum vero etiam presentia & auxiliū diuini, quo pii nunquam destituuntur, sed mirabiliter eripiuntur rebus aduersis.

Partes constituimus tres.

I. Est de vocatione Abrami. v. 1. 2. 3.

II. De obedientia seu migratione eiusdem in Cananæam: vsque ad vers. 10.

III. De peregrinatione & periculo eius in Aegypto.

PRIMA